



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesu Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Vndeclimus fructus. Maior efficacia circa proximum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](#)

nus solet esse fortis, & efficax.
Itaque zelus animarum proprius est amoris effectus, & genuinus Spiritus Christi fructus.

Vnde cimus fructus: Maior efficacia functionum circa proximum.

Miramur in Ecclesia tot doctissimorum virorum labores, tanta studia adeo parum opis afferre fidei, tot erroribus exagitatae, & vitae puritati tot infectae corruptionibus. Certè vel hinc maximè petenda ratio videtur, quia licet præstantes sint functiones, tamē carent vera sua forma, quæ est Christus, quam ijs imprimere solus Christi amor potest, qui quo vehementior est, eo illæ solent esse efficaciores. Huius

rei triplex omnino est ratio.

Prima est, quia qui vere Christum amat & aestimat ut pars est, non poterit non sape loqui de eius maiestate, perfectionibus, amore, beneficiis in nos collatis, dictis, factis, mysteriis, miraculis, virtutibus, præcipue vero de passione & morte, quæ omnia quam efficaciter agant, & experientia quotidiana docet, & olim B. Dominico reuelatum est. Cùm enim aliquando post multas conciones conqueretur de exiguo fructu, Beata Virgo eum blande consolata, monuit, vt filij sui mysteria in concionibus tractaret sa- pius, futurum inde, vt ma-

gnum

gnum singuli fructum per-
ciperent, id quod postea con-
tigit.

Secunda est, quia qui verè
Christum amat, & dignam
de eo existimationem conce-
pit, cum de eius vita & passio-
ne aget, non poterit non cum
magna reuerentia, & dicendi
maiestate id præstare. Vnde
fiet, ut verba eius instar ignitè
faculæ, auditorum corda in-
flamment & penetrēt, parem-
que de eo existimationem pa-
riant.


Tertia quia sicut diuina o-
mnia beneficia à D E O per
Christum in nos deriuantur,
in eo enim & cum eo, & per
eum sunt omnia; ita cum

aliquo tanquam instrumen-
to ad aliorum opem vt con-
stituit Deus, hanc præcipue
in eo dispositionem requirit,
vt quid efficaciter agat, vt
Christi amor in eo ferueat: sic
enim sese non tantum Deo
coniungit, vt principali au-
thori salutis, sed etiam Chri-
sto, vt causæ meritoriaæ, & ve-
ro exemplari. Cùm igitur to-
ta animarum procuratio cō-
missa sit Christo, & ab eius me-
ritis omnino dependeat, fru-
ctum esse eo maiorem necesse
est, quo influit ipse magis. Eo
autē eum influere magis cer-
tum est, quo ex eius puriore
feruentioreque amore, hac
ministeria suscipiuntur. Est e-

nim

nim proprium amoris, per intentionem nostra opera efficer propria aliorum, nec agnoscit Christus aut Deus Pater aliquam functionem, ut suam, quæ ex alio fonte prodeat. Quare hoc valde commendatum esse debet ijs, qui ad salutem aliorum procurandam vocati sunt, ut Christum in quo Deus Pater omnes, vt filios adoptiuos diligit, ardent & tenerè ament, vt illum in alijs formare queant. Et Christus hunc amorem à S. Petro exegit, & vetuit Apostolos prodire in publicum, nisi misso Spiritu S. hoc essent amore corroborati. Et certè nostra hac ætate, illos, qui v-

beriorem fructum in Ecclesia
pepererunt, & plus opis ei at-
tulisse evidentur, hoc amore
ardentes fuisse constat, inter
quos Ioannes Auila, cum sin-
gulari modo in Christum, &
sacratissimam Eucharistiam
esset affectus, in illorum, qui-
buscum agebat corda, tanta
vi irrumpebat, ut ingentes a-
nimorum motus efficeret. Et
Beatus Pater Ignatius, hoc
principuè, igne à Deo succen-
sus non parum per se, suosq;
Ecclesiaræ sanctæ profuit. Ro-
gemus Dominum messis, vt
tales mittat operarios in
messem suam.



Duodecim